



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

4. Quot modis constituatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

§ II.  
De Vicario Episcopi.

1. Vicarius Episcopi quomodo ab aliis distinguatur.
2. Dicitur & officialis.
3. Usque necessario constitui debet.

**C**um Episcopus, plurimis negotiis involutus, nequeat per se sufficere omnibus, ac spiritualibus potissimum intendere debeat, Vicarium sibi constituat oportet, vel unum vel plures, *can. in nova xvi. q. 7. Quoniam 14. inf. De officio jud. ord. Anchar. in Clement. 2. De re scriptis.*

1. Qui proinde Vicarius Episcopi, & quidem, more loquendi recepto, simpliciter Vicarius appellatur: de quo potissimum hoc Tit. agitur, non etiam de aliis, qui licet revera Vicarii sint Episcopi, ut Archidiaconus, *c. 1. c. Ad hac sup. de officio Archidiacon. Archipresbyter, c. 1. c. Officium sup. de off. Archipres.* tamen non solent appellari Vicarii, quia nomen proprium, & administrationem habent, ex præscripto ipsorum Canonum; nec sunt Vicarii constituti ab Episcopo, sed ab ipso iure ratione dignitatis & officii, quo funguntur.

2. Aliter autem Vicarius Episcopi, si generalis sit, appellari solet Officialis Episcopi, & e contra, ut constat ex *d. Clem. 2. de re scriptis junctis Gloss. ibid. in v. Officialis, & in c. ult. b. 1. in 6. c. 1. & 2. eod. in 6.* ubi textus vocat eundem Officialem, & statim *d. c. fin.* dicitur disjunctivè Officialis aut Vicarius generalis Episcopi.

3. Ad eò verò necessum est, ut Episcopus sibi Vicarium constituat, ut si ea in re fuerit negligens, ad Metropolitanum seu Archiepiscopum devolvatur hujusmodi deputatio: eoque deficiente antiquior Episcopus ex Suffraganeis eundem cogere possit. *Conc. Triid. Sess. 24. cap. 16. de reformat.* Tamen si autem Capitulum, vivente Episcopo, eoque vel absente, vel negligente, non possit vicarium constituere; potest tamen, eorum mortuo, vel electum ab Episcopo confirmare, vel alium.

§ III.  
Qualis debeat constitui Vicarius.

1. Debet esse probata vita ac doctrina.
2. Clericus, non laicus, nisi ex causa.

**Q**uoniam ex facto Vicarii tenetur Episcopus, sibi que imputare debet, si malum e-

legerit, *c. Ad hac sup. De officio Archidiacon. Rebuffus in forma Vicariatus n. 188.* ideo etiam videndum, qualis eligi debeat.

1. Eligitur & constitui debet Vicarius probatis moribus, ætate xxv. annorum, *arg. c. Cum in curiis 7 § inferiora sup. elect. rerum & causarum forensium peritus, l. penult. Cod. de judiciis, n. 1. Rempub. D. de munerib. Doctor vel Licentiat, saltem in jure Canonico, vel alias, quantum fieri potest, idoneus, Conc. Triid. Sess. 24. c. 16. De reformat.*

2. Clericus item, saltem primæ tonsuræ, non conjugatus, *Franc. in c. h. 1. in 6.* nisi certis casibus: veluti si Episcopus jurisdictionem habeat temporalem, cujus capax est laicus, non etiam spiritualis, *c. 2. de judiciis:* aut ad sit licentia Papæ, vel necessitas urgeat. Afferorem tamen laicum Episcopus habere potest. Abbas, Felin. & alii in *c. de his & c. Decernimus inf. de judiciis:* quia officium afferoris est consulare, quod etiam in Ecclesiasticis facere potest laicus: licet honestus fuerit adhibere Clericum, si reperitur idoneus, Felin. in *d. c. decernimus.*

§ IV.

Quod modis constituatur.

1. Constitui potest vel in spiritualibus, vel in temporalibus, vel in utriusque.
2. Unus, vel plures.
3. Unus item Generalis & aliter Foraneus.

**T**ripliciter constitui potest: vel in spiritualibus tantum, cujus est officium excommunicare, suspendere, interdicere, Sacramenta conferre, beneficia visitare, corrigere, aliaque similia exercere; & talis Vicarius in spiritualibus fit mentio in *cap. 3. de temporib. ordinar. in 6. & in cap. 4. inf. De officio Ordinaris.* Vel in temporalibus tantum, cujus administratio consistit in judicio, vel extra judicium. Vel denique Vicarius est in spiritualibus & temporalibus simul: & hic Vicarius Generalis Episcopi appellatur in *c. fin. eod. in 6.* Creatique debet cum expressione spiritualium & temporalium simul: alioquin non esset generalis, si vel in spiritualibus duntaxat, vel in temporalibus crearetur, *c. Si Episc. & c. Ecclesia de supplenda neglig. Pralas. in 6.* aut si simpliciter concederetur potestas administrandi. Videatur Rebuff. in *Praxis benef. tit. de forma Vicariatus Archiepiscopi.* Sic nec Generalis diceretur, si

constitueretur in aliqua speciali parte diœcesis, etiam in ipsa parte, in qua residet Episcopus; sed diceretur foraneus & delegatus.

2. Secundò, potest Episcopus unum vel plures Vicarios constituere, si id consuetudine receptam fuerit, aut si expresse agatur, plures constituantur, prout plures constitui expedit, quando Episcopus ad diversa territoria diœcesis suam extensionem habet. Alioquin per simplicem constitutionem secundi censetur prior revocatus, *D. D. in c. Clericos h. t.*

3. Tercio, potest constituere unum Generalem, qui vices Ordinarii constituentis gerat in tota diœcesi; & jus dicat in loco actibuali, in quo consuevit ipse Ordinarius jus dicere, Sanchez *De matrim lib. 3. disputat. 19. q. 1. n. 11.* & talis est principalis, & dignitatem habere dicitur; licet non eam, quæ sit beneficium Ecclesiasticum vel incompatibilis cum alia dignitate, Rebuff. *in d. Praxi tit. De Vicariis Episcoporum.* Alium verò constituere potest in certa aliqua parte diœcesis, extra civitatem Episcopalem, quæ proinde vocatur Foraneus, nec dignitatem habere censetur.

## §. V.

## De potestate &amp; jurisdictione Vicarij.

1. Rationes, quibus asseritur Vicarium Episcopi esse delegatum.

2. Probatur, esse Ordinarium.

3. Satisfit rationibus contrariis.

1. **T**Ametsi non desint, qui velint Vicarium Episcopi, licet principalis sit, non esse ordinarium, sed delegatum, Gotoffredus *in Summa h. tit. q. 1.* eò quod ejus iurisdictio morte extipret Episcopi, sicut iurisdictio delegati re integra finitur morte delegantis, *c. Gratius, c. Lites undique inf. De officio delegati;* quodque vices Episcopi gerat, *c. Romana in princ. De appellat. in 6.* sicut delegatus fungitur vice delegantis, *l. 1. §. qui mandatum D. de officio ejus & c. l. Solet D. De iurisdict. omnium judicum;* cum tamen ordinaria iurisdictio, mortuo concedente, adhuc remaneat, nec possit ab Episcopo concedi, ut patet ex *can. Aludicibus 2. q. 6. l. Et quia D. de iurisdict. Glossa in cap. 2. V. statuitur inf. Ne Prælati vices suas vel Eccles. sub an. censu conced.*

2. Nihilominus verius videretur. Vicarium

Episcopi, si sit principalis, habere ordinariam jurisdictionem, sicut habet Episcopus, cuius vices gerit, prout docet Sanchez *De Matrim lib. 3. disput. 29. Glossa in c. Licet in V. Officiale eod. in 6. c. Perlethia dist. 25 in V. jugo, D. D. in c. Quoniam in plerisque inf. De officio Ordinarii, & c. 2. De consuet. in 6.* quia licet constituatur seu nominetur & designetur ab Episcopo, non tamen ab eo, sed ab ipso canon. & jure jurisdictionem accipit; *2. eod. in 6. ac proinde ordinariam, d. can. Aludicibus.* Confirmatur ex eo, quòd idem tribunal & eadem jurisdictione sit Episcopi & Vicarij, *d. c. Romana & d. c. 2. & ibi Interpp. De consuet. in 6.* Et propterea, licet à delegato appellatur ad delegantem, *c. Super quæstionum §. porro inf. de officio delegati;* tamen à Vicario seu Officiali Episcopi in iis, in quibus est ordinarius, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum appellatur, *d. c. Romana, d. c. 2. de consuet. in 6.* ne ab eodem ad eundem aut seipsum interponi appellatio videatur. Idem dicendum de Vicario Capituli, Sede vacante & Vicario generali habente jurisdictionem Episcopalem ut tradit Sanchez *d. loco.* Et hinc fit, quod Episcopus non possit revocare aut impugnare, quod legitime & canonicè Vicarius gessit, Rebuff. *in Praxi tit. de Vicar. Episc. n. 40.*

3. Non obstant in contrarium allata: quia ideo jurisdictione Vicarij extinguitur morte Episcopi, quia illius jurisdictioni tamquam accessoria coheret, & sic gerit vicem Episcopi: ut tamen non ab eo, sed à jure jurisdictionem accipiat idem que cum Episcopo tribunal constituat, non diversum: prout delegatus diversum constituit à delegante, à quo suam jurisdictionem habet. Et ideo rectè à delegato ad delegantem provocatur; sicut & ab Archidiacono, alijsque Prælati & inferioribus ad Episcopum, non autem Archiepiscopum Rectè etiam à Vicario Episcopi ad Episcopum appellatur, quoad ea, in quibus illius est delegatus: veluti quando illi divisim & seorsim ab institutione committit aliquos casus qua de re videatur Sanchez *d. Disput. 29.*

quæst. 1.

☞ (†) ☞